









1745.

1. Brückner, Jakob Fins : De eo, quod iustum est circa abrogationem non expressum, quam facilius concordatorum Germaniae regum Elias : Historia et curiosus petris 19-  
16. Brückner, Jakob Elias : Historia et curiosus petris 19-  
Lobkowitz inter nos & les episcopales -
2. Lotichius, Joannes Georgius : De inhibitionibus et processu  
interfisis.
3. Reinbatti, Ehrenfried : De eo, quod iustum est circa  
dignitatem Imperii conferendas.
4. Schorck, Hieron. Tiduricus, Facult. juri dicamus :  
l. b. s. (ad mortificationem iung. Ioh. Georgii Lobkowitz  
invitata).
5. Schorck, Hieron. Tiduricus, Facult. juri dicamus :  
l. b. s. (ad mortificationem iung. Joh. Georgii Lobkowitz  
invitata.)
6. Schorck, Hieron. Tiduricus, Facult. juri dicamus l. b. s.  
(ad mortificationem iung. Ehrenfried. Reinbatti invitata.)
7. Schorck, Hieron. Tiduricus, Facult. juri dicamus l. b. s.  
(ad mortificationem iung. Johannis Brückneri invitata).

8. Schorckius, Hieronymus Provisor: Representatione annua  
     in urbe Coburgensi uritata. Des Bâth.  
 9. Schorckius, Hieronymus Provisor: To Tabela feudalium,  
     ejusque differentias ab ecclesiasticis. 2 Sept. 1743 - 1752.
10. Schorck, Hieros. Fiduc.: De jure servitatis et censu-  
     ejusque acquisitione et ammissione pro praescriptis.

1746.

1. Reichel, Christian August: De rebus constitutis quibus captae  
     *littera mandata sine claimata. r. u. g. ad. vi. Vier Fälle, quae* 7.  
     *COTAM summis Tribunibas sacri Romani Imperii frequentem*  
     *l. r. s.*
2. Schünthe, Henr. Melchior, Facult. iuridicae decanus: Lectori  
     **benevolent. s. p. d.** (ad dissertationem in ag. Christianum Augustum  
     Reichelii invitatus). 8.
3. Spitz, Dr. Christopherus; Facult. iuridicae decanus: Lectori  
     **benevolent. s. p. d.** (ad dissertationem in ag. Iann. Michaelis  
     Wagneri invitatus). 9.

1746.

8. Henger, Joannes David: De ultima voluntate aprobatoria  
et consensu indigat.

5. Wagner, Joannes Michael: De archicancellariata ac directorio  
in comitiis Imperii eminentissimus Archipiscopo principi  
electori Magistratus competentibus.

1747.

6. Spitz, L. Christophorus: Facult. iuris Decanus: Reitor  
benevolo S. p. d. f. ad Disputationem in auct. Ernesti Wilhel-  
mi Strockeri invitatus.

7. Strocker, Ernest. W. Wilhelmus: De splendore famosissimam  
illustrissimum conservando:

8. Strocker, Ernest. W. Wilhelmus, Facult. iuris Decanus: . . .  
ad . . . Disputationem in auct. Ernesti Badeni . . .  
invitatus.

9. Strocker, Ernest. W. Wilhelmus, Facult. iuris Decanus: . . .  
ad . . . Disputationem in auct. (Ernesti Henrici) . . .  
invitatus. 2 Janv. 1747 - 1759.

11. Streckez, Consens W. Melius : De qualitate testam  
ad portanda crimina productorum.

12. Streckez, Consens W. Melius : De praestantiis legatis  
in testamento invalidis & electis.

13. Streckez, Consens W. Melius : De praestantiis legatis in  
testamento invalidis & electis. . . . Accedit Consens  
W. Melius Streckeri Programma Defide et Inibit et  
instrumenta tam publica quam privata, consue-  
tatis Rec 1759.

348  
C 16

579.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

SISTENS

HISTORIAM ET CVRATIONEM  
**FEBRIS CATARRHALIS**  
INTER MILITES EPIDEMIAE.

QVAM  
ADSPIRANTE NVMINIS DIVINI GRATIA  
CONSENSV ET AVCTORITATE  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
IN ALMA ET PERANTIQA HIERANA,  
SVB PRÆSIDIO

**DN. D. ANDREAE ELIAE  
BÜCHNERI,**

SAC. CÆS. MAJEST. CONSILIAR. ARCHIAT. ET COMIT. PALAT. S. R. I. NOBILIS,  
ACAD. IMPERIAL. NAT. CVRIOSOR. PRÆSID. CHTM. PROF. PVBL. ET FACVLT.  
MED. ADSESS. ORDINAR. AC P. T. DECANI, NEC NON REG.  
BEROLIN. SOCIET. SCIENT. SODALIS,  
PATRONI ET PROMOTORIS SVI AETERNUM  
DEVENERANDI,

**PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI HONORIBVS  
ET IMMVNITATIBVS  
LEGITIME IMPETRANDIS,  
AD DIEM XXIX. APRILIS MDCC XLV.**

*H. L. Q. C.*

SOLENNI ERVDITORVM EXAMINI SVBJICET  
AVCTOR ET RESPONDENS

**LVDOVIC. FRIDERICVS MÜLLER,  
PRACTICVS RUDOLPHOPOLITANVS.**

ERFORDIAE,  
Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.

1795

tor suf-  
or pars  
tamen  
eligere

ionem,

horum,  
ora vo-

lvit, de-  
on acce-  
s proba-  
e potet.  
item est







## PROE M I V M.

**H**ominem elegantissimum macrocosmi compendium esse, adeoque sapientissimum naturæ parentem & architectum hoc ipso nobis luculentum quoddam, omnem humanam rationem transcendentis suæ sapientiæ & omnipotentiæ, ob oculos posuisse documentum, utriusque attenta collatione evidentissime patescit. Inter alia innumera hujus veritatis argumenta, dum Speciminis praesentis elaborationem meditamus, præcipue mentem subit ignis macrocosmici & microcosmici, secundum paritatem effectuum, consideratio. Illius maximus & omnibus notissimus usus est ad separandum utile ab

BINNO

A 2

in-

inutili, bonum à malo: ad illud, quod immaturum erat, ad maturitatem perducendum: ad congreganda homogenea & separanda heterogenea: ad solidis corporibus fluorem, fluidis soliditatem conciliandam: ad componendum & dissolendum: ad generandum & corrumpendum, ut alia plura hic taceamus. Ignis principium, idque efficax, in homine vivo adesse, ejus effectus & analysis chymica, imo Phosphori è lotio humano productio, probant. Iustum vero ignem æque in nobis, diverso licet operandi modo, separationem utilis ab inutili, congregationem homogeneorum & secessionem heterogeneorum præstare; solvere & coagulare, generare & corrumpere atque destruere, multi docent naturalis & præternaturalis ejus status effectus. Pro exemplo nobis esse poterit *Febris catarrhalis*, de qua in præsenti agere constituiimus: offendimus enim in ea separationem utilis ab inutili & noxio; congregationem seriacris mucidi in certis organis & viis; coagulationem & dissolutionem; conservationem corporis, quam hoc loco pro generatione accipimus, atque ejus destructionem, seu mortem, quæ omnia

omnia clarius deducere & explicare in sequentibus pagellis allaborabimus. Ut autem optatam attingere queamus metam, ante omnia Divini Numinis auxilium imis cordis suspiriis invocamus, ut sancti sui Spiritus gratia nobis jam & in posterum adesse velit.

## HISTORIA MORBI.

**E**xente Anno M DCC XXXVIII. Rudolphopoli inter gregarios milites febris accendebatur, qua intra breve temporis intervallum plures hujus ordinis prehendebantur, unde ejusdem grassatio ultra duos menses durabat. Corripiebat vero maxime subjecta plethorica, vel plethorico cacockymica, quæ alias consuetam circa autumnum sanguinis ventilationem, seu venesectionem, incante neglexerant. Morbus iste scenam aperiebat insolita lassitudine, universali languore, inappetentia, totius corporis gravativo, circa nucham autem & humeros tensivo dolore, qui magis acutus in capite percipiebatur. Illi, qui olim plus semel vere & autumno Pleuritidem passi fuerunt, nunc quoque tuisse

tussi & lateris unius vel alterius punctione ad-  
fligebantur. Memorato igitur invadentis mor-  
bi prodromo tempestivè attendentes & debitum  
regimen observantes, morbum dein experieban-  
tur benignioreme; peritacius vero eidem oblu-  
ctantes & pro officiis alias ratione excubias agen-  
tes, graviora experiebantur symptomata, inter  
que multum in primis negotii faciebat anxietas  
circa praecordia spastica, ad syncopen usque pro-  
grediens. In quibusdam futuræ se prodibant Co-  
ryza initia. Posthæc secundo vel tertio die cir-  
ca vesperam universalis invadebat horripilatio  
febrilis, cum extremorum, pedum maxime, sen-  
sibili refrigeratione, in sequente hinc æstu & sym-  
ptomatum supra memoratorum, dorsi in primis  
& capitis vertiginosorum dolorum, notabilis in-  
tensione, quibus hactenus orthostadii, nunc lecto  
adsigebantur. Febri hinc crescenti & ad statu-  
m tendenti, adjungebantur narium & fau-  
cium ardor, deglutitio difficultis, sitis, inquietudo  
cum crebris jæctigationibus, somni perturbatio,  
vel omnino defectus, leve delirium, exanthema-  
ta purpuracea, maculae rubicundæ, que vero in  
paucioribus, ex malo regimine, lividum & in bi-  
nis

*nis violaceum induabant colorem, unde reliquis  
omnis morbi status simul in deteriorem mutaba-  
tur, adeo, ut hinc etiam diarrhoea cum singulis  
conuncta, oculorum caligo, mentis alienatio, mo-  
tus lingue tremulus, susurri aurium & obau-  
ditio cateris symptomatibus accederent.*

## RESOLVTIO.

### §. I.

**M**orbum, cuius recensionem præmisimus, in ru-  
bro diximus esse *Febrem catarrhalem* & qui-  
dem *epidemiam*. Ad febrium classem illum  
recte referendum, tum quæ antecesserunt, tum quæ  
comitata sunt, declarant symptomata. Ecquid enim  
magis tritum & obvium, quam febrem, lassitudinem,  
languorem universi corporis, inappetentiam, & dolo-  
res tensivos in diversis partibus & capitis acutos im-  
mediate præcedere; ipsam vero dein horripilatione  
universali, extremorum frigore cum insequente æstu  
invadere, huic porrò in progressu statim, vigilias, so-  
mnum perturbatum, inquietudinem & alia in historia  
recensita symptomata se adjungere, unde illa magis vel  
minus acuta, benigna, vel maligna redditur? Addito  
vero speciali titulo *catarrhalem* quoque illam vocavi-  
mus. Si consideramus in quibusdam ægris coryzam  
in primo statim morbi ortu se prodentem; in aliis tuf-  
sim & laterum dolores, narium & faucium ardorem,  
repetitas sternutationes, deglutitionem difficultem, quæ  
signum

signum præbet faucium tumoris & aliqualis inflammationis, hæc omnia catarrhalem hujus febris indolem declarant. *Epidemiam autem simul nominavimus*, quia maximam cohortis partem invasit, & ultra duos menses ita grassando duravit.

## §. II.

Definimus igitur hanc febrem catarrhalem epidemiam, quod sit *intensio circuli humorum continuata, & præternaturali seri mucidi & aeris vitiæ retentione & collectione, cooperantibus causis communib[us] excitata & ejusdem salutarem resolutionem, separationem & exclusionem potissimum intendens.*

## §. III.

*Pro mediata causa* hujus febris in primis accusamus serum copiosum, spissitudine & acrimonia vitiæ perniciosum, quod, dum partes quasdam, in primis membranoso-glandulosas, nimis inundat, infarcit, obstruit & in tumorem elevat, easdem insimul cum dolore & rubore inflammat, quia sub talibus congelationibus, compressis capillaribus vasculis, etiam ipse sanguis purpureus in illis haud libere progredi potest, sed ad stagnationem disponitur. Idem vero in hac catarrhali febre etiam contigisse, non solum narium & faucium ardor & difficilis deglutitio, sed salutaris etiam ejusdem solutio per lenes udores, sudores, vomitiones & diarrhoeas spontaneas, imò maxime largam & saepe facilem seri peccantis per fauces & narcs excretionem, abunde probavit, de quibus ulterius vid. §. IX.

## §. IV.

Acrimonia verò abundantis seri, in primis per dolorem tensivum & acutum circa nucham & humeros, itemque per cephalalgiam & anxietatem spasticam circa præcordia se manifestat: Partes enim corporis humani exquisito sensu præditæ, acrium & pungentium particularum contactum ferre nequeunt, sed his irritatæ & stimulatae spasmos patiuntur, ac rodente & lacinante dolore adfiguntur; & quia simul ejusmodi acri lympha circa articulos & in periostis stagnat, molesta inde artuum oritur gravitas. Nec silentio prætereundum est, quod ob stagnationem simul lymphæ acrimonia intendatur, vel producatur.

Antecedentem causam haud aliam agnoscimus, quam in nonnullis organis & ductibus impeditas & diminutas, vel omnino abolitas se- & excretiones abundantiam & inutilium humorum, idque vel ipsorum organorum, vel humorum fecernendorum culpa. Si enim organa nimis laxa sunt & tono destituantur, humores etiam spissiores intra tubulos suos admittunt, vel majore illorum copia obruuntur & infaciuntur, quam quidem sub debili tonico motu urgere & ultius propellere valent. Nimium verò à quacunque causa constricta & angustiora redditæ organa cum ductibus suis excretoriis, minorem quantitatem fecernunt & excrenuunt, quam quotidie in corpore gignitur, unde iterum vitiosæ lymphæ ac seri in corpore accumulatio necessario sequitur. Si vero lympha & serum nimia labo-

rant spissitudine, illa moderato & ordinario impulsu naturali transcolari nequit, sed in corpore remanet, in dies augetur & humorum laudabilem crasim immutat, donec tandem intensione motuum, qualis in febribus obtinet, illa incidatur, resolvatur & per congrua organa & canales sat valida pressione urgeatur.

## S. VI.

*Remotæ & procatarticae causæ febris nostræ catarhalis epidemiacæ nunc quoque eruendæ & evolvendæ sunt. Ex his primo notari m̄ retur aēr, qui mensibus hiamalibus & autumnalibus utplurimum non solum admodum inconstans & varius, sed etiam valde intemperatus esse solet, neque etiam dubitandum est, quin proxime prægressa autumnalis aēris constitutio militum corpora efficaciter ad hunc morbum disposita reddiderit. Illius temporis tempestatum vicissitudo nimis nota est, in eo enim creberrimæ, ne dicam quotidiane, sunt permutationes è calido in frigidum, è sicco in humidum, & contra, quibus externus corporis habitus porosus frequenter mutatur, modo relaxatur, modo constringitur & comprimitur, quibus alterationibus dein insensibilis perspiratio & sudoris excretio sepiissimè intercipitur & impeditur. Taceo, quod frigoris vis, humores corporis humani coagulando & inspissando, maximum quoque ad hanc febrem serofam conferat momentum, illorum secretiones & excretiones depuratorias vel minuendo, vel sistendo. Notissimum vero est, quod milites multis injuriis non solum aēris frigidi, humidi, pluviosi & nebulosi sint expositi, dum excubias agunt & ab uno loco ad alium remo-*

remotiorem nocte dieque migrare coguntur, sed etiam magnum sanitatis detrimentum patientur, quando è frigore intenso, finitis excubis, in hypocaustum fervide calefactum, vel ex hoc in frigidum aërem iterum crebris vicibus transire coguntur.

*-on chroniq estoriu S. VII.*

Intemperantia circa victim & insalubris cibi potusque usus, vel si mavis abusus, magnam vim ad crudos, corruptos & heterogeneos humores gignendos, eosque ad turgescientiam in corpore augendos, obtinet. Notissimum verò est, gregarios milites minus temperantiae legum observantes esse, & distinctione rerum ad victim pertinenter salubrium & insalubrium destitui; imò, ob rem domi angustam, vilioribus & parabilioribus, sed crudioribus quoque & minus salubribus, semet alere suetos, inde vero crudis, viscosis & acribus succis corpus replere & cacochymicum reddere, unde copiosum admodum adparatum ad hujusmodi febrem excitandam non advertentes sibi comparant. Pane saepè vesci coguntur nimis groso & furfuraceo, nec bene fermentato, nec satis cocto, schwer nicht wohl ausgebacken Brod. Inter delicias illorum sunt: carnes suillæ fumo induratae & talia farcimina; caseus vetustus & putridus; acetaria, cucumeres & fructus horæi, quos avide nimis & intemperanter sumunt. Præterea illis usitatum est cerevisiam & spiritus frumentaceos ad temulentiam usque haurire: Illa humores valde commovet & sanguinem auget, intemperanter vero hausta caput gravat, nervos debilitat, fluidum nerveum impurum & crassum efficit, un-

de temulentorum stupiditas, linguæ immobilitas, titubatio & somni profunditas, tanquam illius effectus, deducenda. Spirituosa vero, fermentatione & destillatione parata, præter temulentiam & ebrietatem, quam efficiunt, nutritioni quoque obsunt, sanguinem & chylum coagulando & mucidos humores gignendo nocent: inde quoque est, quod horum potatores semper, in primis ætate proiectiores, viscida pituita abundant, & ut plurimum morbis è cacoehymia, induratione & obstructione viscerum dependentibus, occumbant. Hinc vero evidens patet ratio, cur milites, qui ejusmodi liquoribus delectantur, etiam ad febres, *lymphaticas SYLVIOS* dictas, vel catarrhales, admodum sint proclives.

### §. VIII.

Causis remotis patentioribus accensemus quoque dispositionem tam naturalem, quam adventitiam. Sic observare nobis licuit, inter militum cohortem ea præcipue subiecta febre catarrhalis correpta fuisse, quibus constitutio erat phlegmatica, aut phlegmatico-sanguinea, & quorum corpora texturam magis laxam & spongiosam prædicta erant. Adventitiam vero ad eam dispositionem nauci erant nonnulli militum, ob frequentes vigilias, crapulas, infalubrem & intemperantem viatum atque spiritus frumentacei abusum.

### §. IX.

Quoad febris hujus catarrhalis decursum & evenitum propterea non omnes eadem fruebantur forte. Etenim quorum corpora non nimia sieri & lymphæ vitiosæ acris & mucidæ quantitate repleta & obruta erant,

erant, & qui intemperantiâ circa victum non nimis diu & graviter inter se ipsos peccaverant, præterea tempestive regimine morbo convenienter utebantur, eundem mitiorem & benigniorem experiebantur, imo absque operosa medicatione per spontaneam & facilem excretionem vel lenis udoris, vel sudoris, vel vomitus aut diarrhoeæ, intra paucos dies liberabantur. Saluberrimam verò largiorem & non interruptam materiae mucido-serosæ per fauces & nares excretionem quoque observavimus.

### §. X.

Gravior è contrario & deterior erat morbi succensus & exitus in iis, quorum corpora erant cacockymica, aut scorbutica, & ubi purpuræ materia intus delitescebat; his enim major accidebat virium prostratio, vigiliae, mentis alienationes, deliria & reliqua mala symptomata, circa finem historiæ morbi recensita: In primis sibi male consulebant & morbum leviorem in magis acutum convertebant, qui proprio ausu vehementioribus purgantibus, emeticis & sudoriferis spirituosis & orgasticis, uno impetu febrem depellere conabantur. His etenim naturæ motibus turbatis & humoribus nimium commotis, morbus in se benignus malignam induebat indolem & salutari in congruis organis secretioni nullus dabatur locus, sed purpuracea in cute exanthemata, interspersis maculis nunc rubris, nunc lividis, comparebant, qualia in paucis quibusdam aliis, ubi febris catarrhalis malignitatis notas habebat, observabantur.

B 3

§. XI.

## §. XI.

Quæ itaque febris ista catarrhalis in se malignitatis expers erat, intra paucos dies absque symptomatum saevitia decurrebat & salutaribus excretionibus, secundum individua diversis, solvebatur, imo in quibusdam Medici opera non indigebat, sed solâ naturæ *autonoptria* ad optatum exitum pertingebat, ideo benignis illam accensendam esse judicamus: pauciores enim erant, in quibus vel ob humorum cacochemiam & putredinem diu antea inherentem, vel ob intemperantiam, perversum in principio regimen, aut tumultuariam medicationem, ex accidenti febris in se benigna malignam indolem induebat, propterea vero contumacior & in 5. circiter individuis extialis fiebat.

## §. XII.

Ob pauca vero illa funera metus excitabatur, ne latius serperet, viresque adquireret ultra progrediendo, malignitas. Quare Serenissimus Princeps regens clementissime mandabat, ut tam præservando, quam curando, consiliis & auxiliis militum cohorti suppeditas ferrem. Mandato itaque, qua pars erat submissione, morem gessurus, præservatoriam curam sequenti methodo institui: *Primo* ad minuendum redundans in corpore serum acre & mucescens, ubi nullus invadentis morbi epidemii erat sensus, pilulas balsamicas & rhabarbarinas, subinde pro rei exigentia paucis vel extraicti panchymagogi Crollii, vel resinæ Jalappæ granis acuatas, duabus vel tribus vicibus, interposito semper unius vel plurium dierum intervallo, exhibui.

*Secun-*

*Secundo*, quia plethora expeditum humorum circuitum remoratur & inde dependentibus secretionibus & excretionibus inutilium & superfluorum humorum magno est obstaculo, sanguinis ſvj. vel ſvj. V. Sme subtrahi curavi. *Tertio* ad restituendam, vel conservandam liberam transpirationem & humoribus fluxilitatem & tenuitatem conciliandam, herbas Veronicæ & Scordii pro infuso theiformi mane ad scutellas iv. vel v. sumere jussi, vel quibus hoc ad palatum non erat, iis Decoctum rad. Scorzonerae, Rafur. C. C. & hordei largius etiam pro potu ordinario forbendum praescripsi; ad promovendam vero liberam transpirationem pulvrem diapnoicum temperatum, è Conch. vel Matre Perl. ppt. Antim. diaphoret. & ḡ Antimonii concinnatum, manè in lecto exhibui. Juxta haec dietam exactius servandam injunxi, vitam sobriam, mentis tranquillitatem commendavi. Spiritu in primis frumentaceo, hauſtu potus gelidi, crebris intensioris caloris & frigoris mutationibus interdixi; & ut à frigoris vehe-mentia in excubiis, quantum possibile, se muniant, suasor fui.

### §. XIII.

Naturam circa curationem hujus febris multum valere & ad illam feliciter expugnandam viribus instruam, antec. §. IX. jam probavimus. Observavimus vero, illam in quam multis subjectis tempestiva pecunantium humorum resolutione, separatione in convenientibus organis & exclusione facili & sat larga sanationis negotium feliciter absolvisse. Naturam itaque & hic bonam se praestitisse medicatricem, didicimus.

Ut

Ut igitur eandem imitando, in subjectis, quæ operâ Medicis indigebant, nec sola sufficiens erat, rectam medendi ingrederemur viam, operæ pretium erat curiose indagare, quibus mediis & qua methodo illa in hoc negotio usa sit. E morbi historia patet, eam pulsu cordis & arteriarum concitatiore & intensiore febrilem motum & æstum excitasse, inde intra paucos dies (§. IX.) sequutum udorem, sudorem, vomitum spontaneum, diarrhoeam, seri acris & mucidi largam è fauibus & naribus excretionem, quarum excretionum unâ vel pluribus, pro individuorum diversitate, morbi solutionem optime absolvit. Medicus vero Naturæ ministrum agere & propterea mentis & corporis oculos in actiones ejus follicite dirigere tenetur, ut probe ejus fines, & in quantum illos adsequatur, vel adsequi valeat, perspiciat & observet. Ex iis vero, quæ antecedentibus §§phis de morbi hujus indole & decurrenti modo facili vel difficulti, bono vel malo, differuiimus, manifestum est, Naturam molestiis peccantis materiae morbosæ irritatam, in omnibus, quotquot laborarunt, subjectis, primum constrictione sub rigoris & horroris sensu externi habitus corporis, maximam molem humorum interiora versus compulisse; hinc vero laceratum vitæ organum, collectis &, ut ita loquamus, multiplicatis viribus, validiore & magis accelerata ventriculorum systole, illos in & per omnes corporis partes impetuosi agitasse, mediante vero isto impulsu fortiori, concitato universalí æstu, & particularum fluidi cœbriore & validiore attritu, morbi materiam tam fluidis laudabilibus admixtam, quam intra exilissimos solidarum

lidarum partium tubulos delitescentem, dissolvisse & extricasse, insimul vero hac operandi methodo ad salutarem separationem & exclusionem præparasse. Hoc bene peracto labore, non minore activitate separationis istius & exclusionis negotium fuscipiebat. Non alio vero ad istud salutariter absolvendum utebatur mechanismo, quam ut continuatis motibus intensis et hinc sustentato semel accenso calore febrili, minutissimos organorum secretoriorum canales distenderet et ampliores redderet, quo aucto et accelerato impetu humores majore, quam secundum naturam fit, quantitate in illos urgere, et alacrius transprimere valeret, hac mechanica vero ratione in singulis cribris secreto-riis copiosorem et celeriorem materiæ vitiosæ, in sanguine contentæ, separationem et excretionem promoveret. Effectus quoque ex voto successit et salutares excretiones, morbum promptè solventes, inde suffi-cienter productæ fuerunt, quas in §. IX, pluribus re-censuimus.

## §. XIV.

Quia vero non eadem omnibus contingebat felicitas, & graviora in nonnullis subjectis impedimenta occurrabant, quibus superandis naturæ vis, sibi sola relicta, non par erat, ideo eidem Medicus, opportunis mediis instructus, open ferre studebat. Illius autem in Therapiæ negotio vestigiis insistens, sequentes for-mabat curativas indicationes: I. *Aësum febrilem, siue bi modum excedit, attemperare, simul vero æquè circum-*

C

spe.

spectè à remediis tam actu & potentia refrigerantibus,  
quam valdè commoventibus, calidioribus, spirituosis  
& volatilibus, ut & regimine æstuoso, quod serum  
acre magis exagitat, cavere, utpote quorum noxas su-  
perius §. X. notavimus. Huic autem intentioni pul-  
veres satisfaciebant temperantes & simul leniter dia-  
pnoici, è Conchis & Matre Perl. præp. C. C. philos.  
præpar. Chelis Cancrorum & similibus concinnati,  
additis in æstu fervidiore cuvis dosi, pro cholericis  
præcipue & plethorics, Nitri depur. granis v. velvj.  
parabantur quoque, quorum gulæ commodum erat,  
cum aqua destill. flor. Samb. Acac. Card. Bened. Ci-  
chor. Scabiosæ & pulveribus modo descriptis, potio-  
nes & emulsiones, in intensiore febrili æstu largius  
exhibendæ,

## §. XV.

Secunda nobis erat *indicatio*, ut occurrentem ma-  
teriæ morbificæ acrimoniam corrigeremus atque ob-  
tunderemus. Significabant eam ardor in naribus &  
faucibus, & in nonnullis contingens crebra sternutatio;  
quo etiam spastico-tensivos circa colli vertebrae & hu-  
meros dolores referimus, de quibus vid. Hist. morbi  
supra adducta. Ulterius vero illam largior seri acris  
per nares & fauces excretio, has partes subinde ero-  
dens & superficialiter exulcerans, probebat. Huic sco-  
po convenientia deprehendimus absorbentia, ut Lap.  
Cancror. Testas ovor. Matr. Perlar. Conchas et Unicor-  
nu fossile, quod ultimum autem, ubi natura excretio-  
nem

nem peccantium humorum per alvum moliebatur, ob vim adstrictriam, omisimus. His pro eodem fine consulto adjungebamus diluentia, ut decoctum rad. Scorzon. et C. C. addito hordei mundati et selecti manipulo; infusa Theiformia, cum fol. Veronicæ, Capilli vener. flor. Papav. errat. et Bellidis parata; accedebat porro largus cerevisiæ secundariae potus, quibus res ita bene cedebat, ut expectoratio, feri per nares fluxus, et reliquac excretiones faciliores et copiosiores, cum notabilis ægrorum *inflatio*, procederent, et sanitas tanto promptius restitueretur. Alioquin, quando copiosus feri acris decubitus fit in trachea et pulmonibus, feri nam tussim cum aliquali vocis raucitate adducens, acrimoniam hanc efficacissime brodium simplex avenæ excorticatae, cum cochleari olei Amygdalarum dulc. recentis, bis vel ter de die calide exhibitum, temperat et involvit, unde tussis quoque multo redditur mitior, vel linctus etiam talis conduit: Rec. Spermatis. Ceti part. j. ol. Amygdal. dulc. part. ij. ol. deft. Fœnic. gr. iv. vel vj. Sacchari cand. alb. pulv. vel Penid. q. s. ut F. f. a. Linctus. Spectat huc etiam rad. Liquirit. vel succi ejusdem inspissati Hisp. iterata in ore masticatio, acrimoniam & tussim notabiliter leniens. Non abs re quoque erunt Emulsiones ex Amygd. dulc. Pincis, sem. 4. frigid. maj. excorticatis, cum tantillo sem. Papav. albi paratae et ad duo cochlearia singulis bioriis exhibitæ. Aliis quoque placent Pilulæ contra tussim, de Styrace Schroederi, aliaeque.

## §. XVI.

Tertia indicatio respiciebat perspirationis, intenso frigore, vel frigoris & caloris vicissitudinibus turbatae, restitutionem, ac reliquorum naturae moliminum, ad has vel illas excretiones salutariter efficiendas, circumspetam & prudentem promotionem. Specialiore igitur scopo, praeter supra §. XIV. & XV. commendata absorbentia & temperantia, etiam Antim. diaph. Succin. alb. Cinnab. Antim. & Camphorae gr. j. vel semis, pulverum ex his paratorum singulis dosibus addendum, nobis satisfaciebant, quibus etiam remittente aestu febrili, in subiectis laxioris & serosi habitus, minime tamen cholericis & plethoricis, usum Eff. alexiph. Stahlii, Scordii, Pimpin. Enulæ, in mediocri guttarum xxvij. vel xxx. dosi, matutinis & pomeridianis horis, interponebamus, quemadmodum etiam ad promovendam per fauces & nares excretionem, ac pro corrigenda nimia materiae tenacitate & spissitudine, proficuum observavimus simplicem Essentiam rad. Pimp. alb. vel parca quantitate Essentiæ rad. Enulæ & Angelicæ auctam, & ad xxv. guttas bis quotidie exhibitam. Insuper quoque ad attenuationem materiae valebat infusum Theiforme, ex herba Capill. vener. Hyssop. Veronic. rad. Glycyrrhiz. flor. Acac. & sem. Foenic. paratum, quod priori quoque scopo, promovendæ nimirum transpirationi, inserviebat. Ad lentiorem excretionem seri mucidi per nares promovendam, efficax est pulv. Lilior. convall. errhini instar adhibitus, vel etiam sequens: Rec.

Rec. Pulv. Lilior. convall. resin. ligni Guajac. aa. gr. xv.  
 Sacchari Canar. drachm. semis Olei Lavendi Caryophyll. aa gt. j. M. F. Pulv. Ubi materia ferosa acri  
 & biliosa, in ventriculo contenta, nauseam & vomituri  
 tionem excitabat, absque tamen debito successu, in  
 cipiente vel declinante morbo modo pulveris rad. Hyp  
 pecacuanhæ gr. xxv. modo ȝi emet. gr. j. vel in for  
 tioribus ij. cum singulari emolumento exhibebantur,  
 qualia vero in statu febris exhibere haud consultum  
 erat. Quando natura peccantem materiam versus al  
 vum dirigebat, absque tamen optato effectu, tunc vel  
 Rhabarb. pulverisati drachma semis c. Cremor. ȝi  
 scrup. dimid. vel Pilul. balsam. gr. xv. ad scrupulum  
 j. eadem adhibita cautione, excretionem hancce saluta  
 riter promotebant. Novimus equidem, quosdam ni  
 miuum circa talium usum esse scrupulosos, attramen si  
 ejusmodi remedia caute & urgente indicatione adpli  
 cantur, nihil mali ab iis metuendum erit: Quæ enim  
 ducere oportet, quo maxime vergunt, eo ducenda  
 sunt per loca convenientia, juxta HIPPOCRATIS Aphor.

zr. Sed I.

§. XVII.

Aegros inter milites, curæ nostra traditos, com  
 plures quoque occurrebat, in quibus diathesin pleu  
 ritico-inflammatioram observabamus. Cum autem  
 in V. Sæc. tempestiva, ad ejusmodi stasim dissolvendam,  
 maximum momentum situm esse constet, ideo, citra  
 qualemcumque metum, in his casibus mature, primis

C 3

sci-



scilicet diebus, mediante illâ sanguinem imminuere & ab effecta parte revellere allaborabamus, imò, sicubi in superficie extracti sanguinis conspicua pellicula alba de inflammatione certiores nos reddiderat, è consilio HOFFMANNI, TRALLESI & TRILLERI, eandem iterabamus cum evidente ægrotantium emolumento.

### §. XVIII.

Peracta Venæsectione, pleuriticæ istius diatheseos, tanquam maxime urgentis symptomatis, ulterior quoque habenda erat ratio. Omnis igitur cura in eo colliganda erat, ut fervor sanguinis attemperaretur, inflammatoria stasis discuteretur, & sero mucido excretionis commoda via pararetur, transpiratione simul promota. His intentionibus bene obtainendis conferebant Pulvis pleuriticus Wed. Oc. Cancror. acido Citri saturati, Antimon. diaphor. Arcan. dupl. Nitrum depur. flor. Sulph. & Camphora, è quibus pulveres componebamus pro circumstantiarum diversitate varios, quorum drachmam dimidiam semis pro dosi singulis vj. vel viij. horis sumere jussimus. Ad acrimoniam feri obtundendam & acutos lateris dolores mitigandos, subinde etiam Emulsiones, quibus SYDENHAMIVS magnam efficacitatem in hoc morbo tribuit, pariter erant proficuae. Parabantur tales ex Amygd. dulc. fem. Card. Mar. Papav. albi & aqua flor. Acac. Scabios. Chærefol. ac Scorzonær. quarum usus nocturno in primis tempore apprime commodus erat, singulis nempe bihoris 3. vel 4. cochlearia exhibendo. Externè lateri dolo-

dolore pectorio adfecto Ungu. Alth. cum Camphora remixtum inungebamus, facculos paregoricos, è flor. Melilot. Samb. Chamom. vulg. rad. Ir. Flor. & bacc. Lauri paratos, calidè imponebamus; doloribus vero his non cedentibus, vesica lacte calido repleta, applicabatur. Praeterea juxta BAGLIVII præceptum decocta calida, vel infusa Theiformia cum iis parata, quæ §. XVI. jam commendavimus, ad præsentem scopum efficacia deprehendimus, simul vero *Alexandri TRALLIANI consilii Libr. VI. p. 269.* memores, tenuis tepidi potus largum commendavimus usum, quo nullum efficiacius pro pleuriticis auxilium inveniri hic Auctor statuit, & fateamur oportet, effectum expectationi respondisse, siquidem illius usu per aliquot dies continuato facilis & larga expectoratio, modici & continui sudores, aliaeque excretiones, cum ægrorum conspicuo levamine, succedebant.

### §. XIX.

Quia verò absque debito regimine omnis Medi-  
ci cura & remediorum usus ad propositam metam  
non pertingunt, ideo militibus serìd præcepimus, ut  
semel tranquillos & quietos, ac in suis stragulis ritè  
rectos continerent, probe observatis udoribus & sudore-  
ribus spontaneis, inducia recenter lota non induerent,  
ab omni frigore, frigido maxime potu, sibi caverent,  
è contrario vero nimium stragulorum & hypocausto-  
rum calorem æstuosum devitent, siquidem omne ni-  
mium naturæ est inimicum.

### §. XX.

## §. XX.

Quandoquidem autem vel ex interna dispositio-  
ne, vel ob indecens in principio regimen & incaute  
ab Empiricis commendata orgastica remedia, adhibita  
acriora emetica ac purgantia, vires ægrorum prostra-  
tæ, & blandi naturæ motus, quibus materiæ peccan-  
tæ resolutio & seclusio salutariter peragenda erat, tur-  
bati & in transversum æti fuerant, morbus iste epide-  
mius in se benignus malignam adsumit indolem, unde  
ægri int̄ primis diebus summum sentiebant languo-  
rem & laudabilis transpirationis ac aliarum commo-  
darum excretionum loco, intensissimo æstu, præcordi-  
ali anxietae, singultu, diarrhoea symptomatica, pur-  
pura, interspersis rubris & lividis maculis, haemorrhagia  
narium immodica & aliis in Historia morbi recen-  
titis pravis symptomatis, graviter infestabantur, qui-  
bus hanc malignam catarrhalem facile à priore beni-  
gna discernere licebat.

## §. XXI.

In eo quoque distinguebatur haec maligna febris  
à benigna catarrhali, dum ob pathematum gravita-  
tem difficilius & tardius solvebatur, aliquos etiam extin-  
guebat; cum è contrario benigna, decenti medicação  
adhibitâ, omni periculo vacaret & intra septem,  
undecim, vel ad summum quatuordecim dies sanitati  
locum cederet.

## XX. 2

## §. XXII.

## S. XXII.

In tali igitur rerum discrimine ad duos respiciendum erat fines, scilicet: *Malignitas oppugnerur & urgen-tia symptomata mitigentur.* Quia vero prior finis non aliter obtimeri poterat, quam humorum corruptioni resistendo, nimium aestum refrænando & diapnoen leniter promovendo, ideo bezoardicis, alexipharmacis & temperantibus eâ methodo agendum erat, ut temperantibus medicamentis bezoardica vel ad jungeremus, vel interponeremus; aestu vero in tantum sedato, misfis temperantibus, substitueremus alexipharmacata, ita circa illorum cum bezoardicis usum disponendo, ut matutino tempore et post meridiem medicamentum alexipharmacum, ante meridiem vero et circa noctem bezoardicum propinaremus. Bezoardica præcipua erant: è compositis pulv. bezoard. Sennerti, Pann. rub. bezoard. Hoffm. et Wed. è simplicibus C. C. philos. præpar. Mater Perl. præp. Oc. Cancror. præp. Ter-ræ sigill. bezoard. animale simplex, seu pulv. Viperar. Antimon. diaphor. bezoard. Jovial. insignis in purpuræ efflorescentia promovenda efficacæ, item Lap. bezoar orient. et occid. ad gr. iij. vel solus, vel cum aliis exhibendus, è quibus pro circumstantiarum ratione compositius pulveres, pondere scrup. j. vel draehmæ semis exhibendos; adjectis aquis destill. Scorzoner. Scord. fl. Samb. Scabios. potiones confecimus, addito ad gratiam saporis Syrupo acetof. citri. Temperandi fine vel Julapia è modo dictis aquis destill. addita ad

D

ha-

harum uncias v. aquæ prophylact. Sylv. vel aceti de-  
still. uncia j. et Syrupi acetosif. citri, vel Cerasor. acid.  
aut rub. idæi q. f. pro gratâ sapore; aut decoctum pro  
potu ordinario, quod illis longe præstabat, cuius hæc  
erat formula: Rec. Rad. Scorzoner. Rafur. C. C. az.  
unc. j. et semis, Passular. min. uncias duas, Pom. ci-  
trin. dimid. in taleolos sectum. Concisa coque c.  
aquæ font. libris viij. per semi horam, colatura dein  
refrigerata servetur pro dicto usu.

## S. XXIII.

Nitrum, quod ad æstum febrilem temperandum  
egregie conducebat, subinde cum Cinnab. nativæ tantillo  
& præcipitante aliquo compositum, pariter ex usu  
erat; vel ejusdem grana aliquot supra descriptis pul-  
veribus & potionibus bezoardicis addebamus, ea pro-  
portione, ut illorum drachmæ scrupulus semis, vel gra-  
na xij. accederent, cuiusmodi remedia, ubi status non-  
dum erat deploratus, febris malignitatem & vehementiam  
efficaciter coërcabant, simul vero purpuræ efflo-  
rescentiam placide promovebant. Ex alexipharmacis  
hodie usitatis melius non suppeditebat Essent. alexiph.  
Stahlii, quam vel solam dosi gt. xxx. supra indicata me-  
thodo, vel cum aliis combinatam simplicibus, usur-  
pavimus, quæ æque exanthematum tranquillæ expul-  
sioni favebat. Ubi vero decubitu ad pectus facto cre-  
bra adfligebat tussis, absque tamen facili & larga excre-  
tione, ad hanc quoque circumstantiam habito respe-  
ctu, aliam ex Ess. Scordii, Pimpin. alb. Enul. Angel. &  
Gly-

Glycirrh. componebamus, utrique scopo ex voto satisfacientem. Retroactam, ob incautam frigoris admissionem, stragulorum & indusiorum mutationem, purpuram in aliquot subjectis Mixtura è Liqu. C. C. succin. & spir. min. anod. Hoffm. partibus æqualibus facile revocavimus, superbibenda vero semper dedimus aquarum destillat. supra recensitarum cochlearia aliquot; imperatâ simul continentâ & tranquillitate. Et hac methodo plurimos auxiliante Deo è lethi fauibus liberavimus.

## §. XXIV.

Ultimo quoque, qua ratione urgentibus symptomatis medelam fecerimus, nunc paucis indicatum erit. Ubi mentis alienatio, vel delirium accidebat, sepositis alexipharmacis, solis utebamur in antec. §. laudatis bezoardicis & temperantibus; abstinentiam ab omni cerevisia & potu spirituoso præcipiebamus, & pro potu ordinario solum concedebatur decoctum citratum crebro offerendum, ejus formulam itidem §. anteced. communicavimus. Hac verò occasione silentio præterire nolumus hujus decocti insignem in deliriis & intensiore sanguinis æstu virtutem, sicubi per aliquot dies solum potandum exhibetur; sine hoc enim, vel simili, reliqua medicamenta etiam optime ad scopum directa, vel serius, vel plane non optatum præstabunt effectum. Adhibuimus subinde etiam vesicatoria ex Empl. de Melil. & Cantharid. pulv. parata, & brachiis & suris, aut utrisque simul applicata,

D 2

quæ

quæ itidem in hoc symptomate egregiam præstiterunt opem.

### §. XXV.

Narium hæmorrhagiæ modicæ quicquid nullam alicujus periculi suspicionem faciunt, immodicæ tamen & indomitæ non negligendæ sunt, si in primis diebus non criticis, & purpura vel efflorescente, vel nondum maturâ & siccata accidentur; itemque alia quoque mala concurrunt symptomata, cum *ægrotat* ægrorum evidente. Ut igitur caute in hoc negotio versaremur, omnibus externis, actu frigidis & constringentibus interdicebamus, & præcipue potionibus temperantibus, & diapnoicis nitratis utebamur, manibus interim aquæ tepidæ immersis & pedum medico calore & uodore procurato.

### §. XXVI.

Diarrhoeæ criticæ & moderatae, quæ pro salute sunt, Medicum prudentem spectatorem, non actorem requirunt: istæ enim non minus, ac aliæ excretiones, cum modum non excedunt, aliis bonis signis conjunctæ & cum ægrorum *ægrotat* fiunt, cum certo ægrorum in commodo & subinde interitu sistuntur. Symptomaticæ contra, nimiaæ, & quibus morbus nihil minuitur, sed deterior redditur, caute refrenandæ, non tamen sistendæ sunt. Nihil igitur illæ usum bezoardicorum & alexipharmacorum morari debent, sed continuata illorum assumptione potius eò nitendum, ut libera tran-

transpiratio cum udoribus conservetur, interim vero, addito cuivis pulveris bezoardici dosi uno vel altero pulv. Cascarillæ grano, diarrhoea ad mediocritatem reducatur, quo nihil efficiente, Spec. de Hyacintho scrup. semis, vel gr. xv. semel intra nychthemeri spatium exhibere, e re erit. Quando autem ob nimiam alvi adstrictionem ægri aliqua anxietate & inquietudine prehendebantur, clystere simpliciter emolliente, absque purgantibus & stimulantibus parato, rem tuto expedire licebat.

### §. XXVII.

Summus virium languor, cum pulsus celeritate, debilitate & inæqualitate conjunctus, inter symptomata urgentiora quoque locum habet, quam potionibus analepticis & brodilis reficientibus levare, nisi res ægrorum jam desperatae sint, Medicus curare debet; quoniam verò internæ in visceribus stases gangræno-fæ utplurimum subesse solent, hinc ejusmodi remedium sæpiissime nihil efficere possumus.

### §. XXVIII.

De tempore & exitu morbi vel salutari, vel exioso, ut & de signis talem indicantibus, paucis adhuc monemus, quod purpura citius, cum vel sine maculis efflorescens, difficilem & periculosum, serius verò adparens, faciliorem morbum, imo salutarem magis promitterit eventum. Urina 4to die turbida, cum sedimento levi, æquali & cohærente, sanitatem futuram;

D 3

ram;

ram; crassa vero, sine sedimento, vel tenuis & limpida, mortem prænunciabat. Simplex & benigna febris catarrhalis 7mo die cedebat, subinde etiam, prout major vel minor aderat materiae morbificæ apparatus, ad 14. vel 21. diem protrahebatur. Maligna vero maioris erat contumaciæ, & interdum ad 4. 5. & plures septimanas se extendebat, dein vero adhuc spatum pro viribus reparandis exigebat. Pauci, qui succubuerunt, vel septimo, vel nono die fatum experti sunt.

### §. XXIX.

Ceterum tale regimen præscripsimus, ut ægri corporis & animi servent tranquillitatem; in conclavi se contineant modice & æqualiter calefacto, à refrigerationibus sibi caveant; præter necessitatem nec induſia, nec stragula mutent, udores vel sudores nullo modo turbent, sed potius placide promoteant, neque tamen æstuoso impetu illos extorqueant, sed naturæ ductui obtemperent. Potu præterea frigido & spirituoso, fructibus horæis, lacticiniis & alijs insalubribus, imprimis verò clandestinis medicatiunculis serio interdiximus.

T A N T V M.

S. D. G.

*Fag. 9. lin. 14. pro medias leg. immediate.*

\* \* \*

**L**aurea fera, Tibi multis jara consita lustris,  
Gestit honoratas cingere læta comas.  
**I**lla Tibi cur fera venit? tam nobile fertum  
Præproperâ nequiiit Pallas obire manu.  
Par tanto Capiti, quod tot de morte trophæa  
Jam retulit, studio fervidiore stetit.  
Digna nec inde minùs, quia fera, illustris haberi:  
Namque creat lensus nobiliora dies.  
**Q**uae Tibi submittit Pallas, nunc ferta capeſſe,  
Pallade digna, Tuis & mage digna comis.  
Fulmina nec fortis, nec mortis perfida tela  
**A**usint fertorum contumulare decus.

*Ita dñm jam promeritos summos in Medicina  
honores Nobilissimo Domino Doctorando  
ex animo grauiatur*

## PRAESES.



L  
Gescheide derer hirz conys hirz  
Hirz Tippis hirz hirz conys hirz  
Bersboges hirz hirz hirz  
Ler hirz Cypri dreyt der es wortz hirz  
Ler hirz hirz hirz hirz hirz hirz  
Dreyt hirz hirz hirz hirz hirz hirz  
Hirz hirz hirz hirz hirz hirz  
Gescheide hirz hirz hirz hirz hirz  
Berlynes hirz hirz hirz hirz hirz  
Vnser gretewen conyngens der hirz

TRAVESES







Erfurt, Diss., 1745-47

X 2386990



SISTENS  
**HISTORIAM ET CVRATIONEM  
 FEBRIS CATARRHALIS  
 INTER MILITES EPIDEMIAE.**

QVAM  
*ADSPIRANTE NVMINIS DIVINI GRATIA  
 CONSENSV ET AVCTORITATE  
 GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
 IN ALMA ET PERANTIQA HIERANA,  
 SVB PRÆSIDIO*

**DN. D. ANDREAE ELIAE  
 BÜCHNERI,**

SAC. CES. MAJEST. CONSILIAR. ARCHIAT. ET COMIT. PALAT. S. R. I. NOBILIS,  
 ACAD. IMPERIAL. NAT. CVRIOSOR. PRÆSID. CHTM. PROF. PVBL. ET FACVL.  
 MED. ADSESS. ORDINAR. AC P. T. DECANI, NEC NON REG.  
 BEROLIN. SOCIET. SCIENT. SODALIS,

PATRONI ET PROMOTORIS SVI AETERNUM  
 DEVENERANDI,

PRO GRADV DOCTORIS  
 SVM MISQUE IN ARTE SALVTARI HONORIBVS  
 ET IMMVNITATIBVS  
 LEGITIME IMPETRANDIS,  
 AD DIEM XXIX. APRILIS MDCC XLV.

H. L. Q. C.

SOLENNI ERUDITORVM EXAMINI SVBJICIET  
 AVCTOR ET RESPONDENS

**LVDOVIC. FRIDERICVS MÜLLER,**  
 PRACTICVS RVDOLPHOPOLITANVS.

ERFORDIAE,  
 Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.

**Farbkarte #13**

